1180 ecclesia pastore fuerat viduata, domna Elisabeth, quae publicam rem Boemiae plus quam vir regebat, coacto in unum totius terrae clero et maxime abbatibus et canonicis designat eis in episcopum capellanum suum nomine Wolis seu Valentinum, qui erat sicut comperimus ignarus Latinae linguae nec de gremio Pragensis ecclesiae, sed degener, obscurus et tali officio prorsus indignus. Quod factum licet turbaret totum clerum, ipsa tamen scandalum ecclesiae non curans, + mittit electum suum ad imperatorem regalibus investiendum, deinde in Wirzeburg ad episcopos, quibus dominus Moguntinus transalpinans[1] vices suas commiserat in consecrandis episcopis, quo perveniens et episcopos inveniens, quamvis eius mantica bene foret farcita et multis multa daret, tamen contradicentibus canonicis Pragensibus non erat, qui sibi manus imponeret. Quos sane canonicos nec non et abbatem de Stragov, dominum Adalbertum, domna Elisabet secum ire coegerat. Qui facientes ibi moram multi temporis, + arbitrantur enim duobus, nolentes eum promovere propter conscientiam, neque aussi redire infecto negotio propter ducissam. + Erat inter ipsos dominus Pilgrimus,

1) Hospiran v. Mainz war seit 1171 unumbarbyan in Italien, zu dieser Zeit befand er sich gerade in Durchfahrungsgef. des Markgrafen von Montferrat.